Scrobissevii Jacobi Συγχαρητήριον ad Excell. Virum et amicum D. Gabr. Joannicium.

Syncharmony
Congratulo

JACOBI SCROBISSEVI
I. C.

ΣΥΓΧΑΡΜΟΝΗ

Ad excellentem virum & amicum,

D. GABRIELEM IOANNICIUM,

Philosophiæ & Medicinæ Doctorem, S. R. M. Professorem & Medicum, pro loco inter Doctores Medicinæ, in alma Academia Cracouiensi obtinendo, disputantem.

Anno Domini, M DCX. die XVI. Febr.

CRACOVIAE,
In Officina Andreæ Petricouij, Typographi S. R. M.

HONESTVS AMOR ANIMO
CONSTAT, NON PRECIO.

ΣΥΓΧΑΡΜΟΝΗ.

NOuo calentes ſole, quid vero tulit
Amice terras viſere?
Quid iuuit, & animoſo adiſſe pectore,
Vrbem vetuſti Antenoris,
Vbi relictis arcibus Pandionis,
Minerua ſedem condidit?
Audiſſe quid nam profuit, ſuper æthera
Notos ſatis fama viros?
Fregiſſe promptè concatenatas ſeü
Curas, tenaci robore?
Cum laude porro quid attinet, celſi ingenì
Tunc explicaſſe copias,
Quando corona doctum adornabat caput,
Illuſtrium in cœtu virûm?
En in palæſtram prodis vt tyro domi,
Tentandus acri ſpiritu.
Sed vera virtus illud exoptat ſibi,
Vbi poßit eniteſcere.
Paulum ſepultæ, diſtat hæc inertiæ,
Celata ſi quando ſiat.

Venator haud mollis, leues tendit plagas,
Iouem nec horret frigidum.
Votis at hic exoptat, aprum montibus,
Fuluum aut leonem occurrere.
Inire certamen cupit miles bonus,
Paratus ad Martis gradum.
Virtus licet tua, mihi iucundum caput,
Intaminatis fulgeat
Honoribus, scientiæq; lumina,
Domi, forisq; splendeant;
Probare specimen attamen tuis lubet,
Hoc publico certamine:
Simulq; testari, tibi nil sanctius,
Sanctis parentum legibus.
Quisquis fideli, iura sua, cordi alligat,
Incedit elegantior.
Parendi & aureum, tenet quisquis modum,
Hic imperando præminet.
Virtutis arduæ premens iter, ordinem
Non deserit, cæptum bene.
Vtraq; cautus sorte, vela turgida,
Vento secundo colligit.

Spartana

Spartana pubes, obsequenter mancipans
Sese Lycurgi legibus;
Primis ab annis quæritans verum decus,
Virtutis attigit apicem.
Non hanc Eous, inferens mundo iubar,
Stratis cubantem repperit.
Horam nec ipse sol recedens igneus,
Vidit dicatam Libero.
Consumptus haud pudor, choreas nec leues
Partita scenis, nec epulas.
Non fronte quæsitus decor, fucata nec
Vestis, bonum texit latus.
Partem nec vllam de die dempsit malè.
Luxum nec vllum combibit.
At mens tenella, bene seuerioribus
Formata studiis, puluerem,
Famem, sitimq́, frigus, æstum, & vulnera,
Virtus quod eminens habet,
Ardebat animoso, prehendere, ac pati,
Et sustinere spiritu.
Lesche serenam cum probasset indolem,
Septennis intrabat puer,

 Æquali-

Æqualium prælustre contubernium,
Vir esse vbi condisceret.
Anteibat vnus hîc, ad eius regulam,
Sese exigebant cæteri.
Colludere paribus placebat, hîc senes
Aderant, decori vindices.
Excolere mentem summus omnibus labor,
Quêis vsus indiget artibus.
Prudens, acuta, breuis, rei apta & tempori,
Ornabat hos oratio.
Gessere quinam magna, sueti quærere,
Vixêre quiuè inglorij.
Ast prima cura, superioribus obsequi,
Vnum hocce credebant decus,
Parere, & ad Deûm vicem, venerarier
Ætate veneranda senes.
Curru insidentes conspicatus quispiam,
Negauit hoc sese vtier,
Vbi ilicet, propere facultas non datur,
Assurgere senioribus.
Imperia docti ferre, maturis quoad
Ætas diebus surgeret.

His instituta moribus iuuentus, haud
Quicquam ardui tulit in bono.
Non illa tum pro patria timuit mori,
Adire nec pericula.
Graium inter & Persam incidit medius furor,
Armantur extemplò viri.
Pontum, solumq́ꝫ, Persa complet copiis,
Exhausit æquora quadrupes.
Metuendus aduenit, quietæ Græciæ
Flammamq́ꝫ cædemq́ꝫ inferens.
Tigris, vbi Caucaseo specu se protulit,
Linquuntur agri protinus.
Quærit latebras omne trepidando pecus,
Vultu truci perterritum.
Victrix pererrat illa colles, murmure
Trepidæ premens cursum feræ.
Paulatim & aspra nudat ora, denteq́ꝫ
Fremit, reductis rictibus.
Locum timenda voce complet, quæ fera
Præcedit, hanc morsura vi.
Æquè, incitatus Xerxis in Græcum impetus,
Coniecit in metum incolas.

 Pars

Pars ligneis raptim occulit se mœnibus,
Secuta pars hostis fidem.
Generosa proles, non feroces copias
Expauit hostis, non minas.
Angusta Thermophylarum agiliter occupat,
Numerosa temnens agmina.
Trecenti in acie constiterunt, millia
Cædunt, suum ad fastidium.
Qualis Leæna, iacula circumagentia
Cùm cernit, in ferrum aßilit,
Hostemq́; colligit, per atra vulnera,
Cruore cùm pasta est, cadit.
Fractis in hoste viribus Spartanus, haud
Aliter in arcto concidit.
Testantur hanc tropæa virtutem, simul
Perennis & sepulchri honos.
Dic hospes in Sparta, iacentes hicce nos
Vidisse te, dum patriæ
Obsequimur am sanctis decenter legibus.
Dignum bonis proauis genus.
Spartana res his moribus stetit, his viris,
Ad astra nomen proferens.

Post-

Postquam semel virtutis ingressus viam es,
Amice, non te vanitas,
Nec vlla vis maligna, non liuor malus,
De mente deiecit bona.
Virtutis inclytæ, indiuidue comes, chori
Phœbiq; columen, & decus.
Annos tot in Craci Lyceo, recreas
Discentium frequentiam.
Audire delectat, iuuatq; candida,
Polita, docta, sobria.
Acceptus in Academiam, scientiæ,
Probitatis, ac omnis boni,
Spartam vetustam: semper egisti, illius
Ornamen vt staret vetus.
Istius ergô, & is tibi susceptus est
Labor. adiuuet Rex cœlitum.
Septemtrionis lux, ocelle patriæ,
Illustrium parens virûm,
Magni tonantis cura, puri dogmatis
Cultrix, patrona pauperum,
Sinceritatis priscæ, auitæq; fidei
Domicilium, alma Academia,

Faue,

Faue, ecce proles digna te, petit locum
Excelsiorem, ponito
Nunc cor amarum, GABRIELIS *in die,*
Qui voce, qui corde est tuus.
Dicêris ô beata, quamdiu dabis
Virtutis antiquæ viros.
Quos praua nesciat ambitio, mentem lucri
Nec turpis exurat fames.
Artus nec odiosa somnolentia
Depascat, aut luxus nocens.
Sed vera virtus, ac honestas, & pudor,
Quorum regant præcordia.
An non tuorum in sessimonio vides
Patres, Theologia quos sacra
Ornauit? aut coniuncta sanctimonia,
Euexit ad cœli domos?
Non Antecessores deinceps conspicis,
Pacem colentes auream?
Non te Sophorum, quos videndos ordine,
Vnà suus præbet locus,
Aspectus ipse recreat? virtutis hi,
Et litteraturæ duces.

Natura

Natura quicquid vbiq; felix protulit,
Scrutantur, hanc & quæ super.
Terræ meatus, & polo surgentia
Lustrant, notantq; sydera.
Arbitrio alma parens tuo rem examinans,
Solertiori industria,
Disces, nec hîc abesse, facta heroica
Fato eripere qui gestiant.
At lumen huc illuc si amicum flexeris,
Et corda cernes enthea.
Non te moretur interim, nec in tuum
Prædulce pectus, se inserat
Genus seuerum, si quod est, in altero,
Cui nulla complacentia.
Audis, videsq; nunc, & illos, ad tuam
Sese parare gloriam,
Quos Phœbus instructos, in ora Oenotria,
Iußit mederi Sarmatis.
Seclude curas, & dolorem. cætera
Grata vice, reponet Deus.
Alacritatis ilicet, vultum nouæ,
Hac luce alacris indue.

Ob Ga-

Ob G ABRIELIS *auſpicata præmia,*
Qui voce, qui corde eſt tuus.
Felix, amice, cæptus hic labor tibi,
Noſtræq́ ſit Academiæ.
Aſſumat, ut Deo duce, incrementa & in
Craci medendi ars pulpitis.
Parare magna glorioſum quàm fuit,
Quondam bonis maioribus.
Iſthæc tueri, vel ſepulta ſi ſiant,
Proferre, laus non eſt minor.
Sic te poli terræq́ prudens arbiter,
Diu beatè ſoſpitet.